AUGUSTINUS
Saint-Amand, Anfang 9. Jh. Seite 125
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38221
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



In carcerem missus est. quomodo post ipsam commemorationem. Iohannis in carcerem missi baptizatus est. ihs secundum ipsius lucae narrationem. proinde manifestum est. ex occasione recordatum prae occupasse et ante multa quae prius quam iohanni hoc fieret gesta narraturus erat hoc praeoccupatum in sua narratione praemisisse. sed nec illi duo matheus et marcus eorum ordine de iohanne in carcerem misso in sua narratione posuerunt quo factum apparet etiam in eorum scriptis. Nam et ipse dixerunt tradito iohanne dnm isse in galileam et post multa quae fecit in galilea ueniunt ad herodis admonitionem uel haesitationem. quod iohannes quem decollauit a mortuis resurrexit et ex hac occasione narrant omnia quae de iohanne contigerunt incluso et occiso.

XLV.

Sequitur ergo matheus cum dixisset nuntiatum esse xpo quod iohannes occisus sit. et ita narratione contexit. quod cum audisset inquit ihs secesset inde in nauicula in locum desertum seorsum. et cum audissent turbae sequutae sunt eum pedestres de ciuitatib; et exiens uidit turbam multam et misertus eius et curauit languidus eorum hoc continuo post iohannis passionem factum esse commemorat. Unde post haec facta sunt illa quae primo narrata sunt quibus modo herodis dixit. Iohannem ego decollaui. illa enim posteriora debent intellegi quae ad herodem pertulit fama ut moueretur et haesitaret. quis nam iste esse posset de quo audierat talia cum iohannem ipse occidisset. Marcus autem post eam passionem iohannis narrauit commemorat discipulos suos redisse ad ihm et renuntiasse illi omnia quae egerant et docuerant. et dnm eis quod ipse solus commemorat dixisse ut requiescerent pusillum in deserto. et ascendisse cum eis nauem et isse. et turbas hoc uidentes praeuenisse eos illuc quarum misertum dnm docuisse multa et horae lam progrediente factum esse ut de quinq. panibus et duob;